DE TYPHO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE MARTII 1847...

Giuseppe omonimi non identificati Fumagalli (omonimi...



DE

TYPHO

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS HOMINI MECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. O. Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii 1847


PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

FUMAGALLI JOSEPH

Ex Vittuone in Prov. Ticin.



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII



D. COMITI JOSEPHO RESTA

HANC TENUEM LABOREM

DEVOTO AC REVERENTI ANIMO

DICAT.

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.



NONNULLA DE HISTORIA

Morbus de quo pertractandus veniam, confusim a veteribus cognitus erat. Isti vel a superstitione studium Anatomiae pathologicae negligere coacti, vel quia ipsius momentum ad morborum essentiam disquirendam parum aut nil agnoscebant, tantummodo a symptomatibus decursuque morbi seducti fuere, ac inde illorum gravitate atque frequentia perspecta, morbi decursu proteiforme, exituque faere semper letale reperto, in medium protulerunt *febris malignae* nomen, quod etiamsi nil realis indicaret, tamen periculum atque ulteriorum investigationum necessitatem satis clare patefaciebant. In posterum infiniti poene auctores, qui in aliquorum morborum decursu phoenomena thipoidea, atassica, adinamica cernerunt, quin de ipsis tutam redderent rationem. Primi, qui glandularum,

mesentericarum tenuiumque alteratione ea symptomata plerumque comitari animadverterunt, fuerunt Stoll, Prost, Boyle, Baglivi, Morgagni et praecipue duo postremi. Sed hii omnes tamen fortuito ferme talia observabant. Roederer et Wagter in descriptione febris mucosae Gottingae, febris thyphoideae tamquam morbus sui generis cum propriis symptomatibus cadaverumque lesionibus prae primis declarabant. Nihilosecius haec omnia satis non fuerunt ad hanc febrim illustrandum, atque ab aliis morbis rite distinguendum, donec Petit et Serres 1844 alterationes studentes glandularum Peyeri et Brunneri sat tuto evincerunt foenomena thyphi ex illis oriri. Postremis hisce temporibus Bretonneau et alii Clarissimi veram glandularum Peyeri et Brunneri lesionum sedem evidentissime ostenderunt.

SYNONIMIA.

Febris thyphoidea variis nominibus insignita fuit. Nam unusquisque faere auctor juxta praeconceptam quam de hujusce adfectionis natura habebat opinionem proprium finxit nomen. Et ita a Roederer et Wagter noncupata fuit Febris Mucosa, Entero-Me-

aenterica a Petit et Perres, Gastro-Enteritis a Broussais, Dothinenteritis a Bretonneau, Ileo-Iitis a Bally, exanthema intestinale ab Andral, et alia permulta nomina a permultis auctoribus. Quale vero est istis nominibus aptum magis ac congruum? Hoc in seligendo nomine diu ambigere debui, neque adhuc statuere valerem cum sciam febris typhoideae nomen plerisque ineptum videri quippe quod non morbi essentiam, sed tantum symptoma denotat a variis organicis alterationibus saepe inductum. Sed alia nomina veram morbi naturam exprimunt? Igitur, sicuti Chomeli vestigiis insisto, ita eodem nomine quod ille utitur, et ego utar.

STADIA.

Si nos decursum febris typhoideae observamus attente in ipso phoenomena quamplurima animadvertimus, quae se se invicem succedunt; et dum aliqui ex hisce symptomatibus, morbo progrediente, silent, sic et alia adaugentur, et nova etiam in scenam veniunt, et omnia quodam cum ordine.

Ab hoc auctores, ut ideam de morbo clarius sit patefacta quaedam temporis intervalla statuere, in quibus date phoenomena con-

stanter vel saltem frequentius adnotantur, et haec vocabantur *Stadia* vel *Perioda*. In universo morbi decursu nos cum Chomelio quinque admittimus stadia, quarum duo prima (Prodroma atque Invasio) nulli sunt adstricta temporis spatio; tria postrema vera in septem circiter persolvuntur dies, quae ab ipso Chomelio perioda vocantur.

PRODROMA ATQUE INVASIO.

Febris thyphoideae invasio non semper eodem in modo locum habet, sed quandoque citissime adgredit, quandoque praesunt phoenomena aliqua, quae prodroma noncupantur. Prodroma haec minime sunt peculiaria morbi de quo loquimur, sed alia quamplurimis obvii conspiciuntur et praecipue exanthematibus. Quando vero in scenam prodeunt, physionomia primitus alterstur suamque amittens hilaritatem fit tristis ac melancolica. Patiens diu affiena suis incumbere et praecipue mentalibus impeditus, citissime defatigatur, de virium magna conqueritur delaxatione, accedunt anorexia, sapor oris fatuus, pastaceus, aliquoties nauseae, vomiturithones, urinae densae foetidi odoris, diarrhoea interdum superveuit, quae post breve

tempus generatum sponte fluere cessat, ut rursus post invasionem adpareat.

Invasio = Invasionis symptomata tam in illis, in quibus prodroma adparuere, quam in illis in quibus haec deficere maxima cum intensitate occurrunt, Generatim kephalalgia sat permolesta ingreditur, quam aeger mane e lectulo exurgens, accusat. Tunc physionomia perturbatur, et non raro in illa aliquid jam stuporis residere conspicimus; contractilitas muscularis fit languida; frigoris orripilationes a validissima febre subsecutae lectulo aegrum cogunt. Diarrhoea unum ex phoenomenis invasionis conspicuum sistit, quae in prima vel altera die morbi se patefit, subsequunt dolores abdominales in intensitate varii ac sede. Tali modo oriuntur invasionis symptomata, adhuc et alia in posterum accedunt, sed quia haec in stadio morbi jam provecto se patefiunt ita ad singula perioda, quae sequuntur, demandamus.

Prima periodus = Physionomiae alteratio, quae jam ab initio adparuit, adaugetur; vultus indifferens sese offert, atque aeger apaticus super lectulum resupinus cubans tarde petitionibus dat responsum, incolumes vero servans intellectuales suas facultates.

Æger saepe saepius insomnem ducit noctem, aut si in aliquo somni momento caecidit subito terrore expergefit. Kephalalgia quae in frontem generatim sedet charactere et intensitate variat, modo gravativa modo pulsativa, modo gravis modo levis, fere semper continua per omnem primi periodi decursum, familius tamen ope alicujus medelae amovetur. Sapor oris nunc fatuus nunc amarus, lingua sicca, vel a muco viscido albido vel flavescente obtecta, ad apicem rubra et ad margines; sitis intensa magna cum cupiditate potuum refrigerantium acidulorum. Adpetitus vel nullus, vel depravatus, vel adauctus ita ut oriatur sic dicta *famis canina*. — Respiratio modificata; aeger dispnoicus, et auscultatio huc et illuc ronchos sibilantes ostendit. Tussis adest sed varia in intensitate ac frequentia; sub expectorationem sputo albo-lucentes viscida, quae vaso adhaerent, rejiciuntur. Hic tamen observandum quod dispnoea non semper a statu pathologico pulmonum pendere, sed quandoque mechanico modo producitur ex una parte a meteorismo, qui diaphragmam comprimit, ex altera a muco et sanguine coagulato, quod nares obstruit.

Abdomine examinato, volumen suum valde

adauctum ostendit, et si digitorum ictu quoddam aspero eum percutimus sonum clarum tympanicum reddit, et phoenomenon hoc, quod meteorismus nuncupatur, fere nunquam deficit. Si ventrem mediocriter tractemus huc et illuc aeger dolorem persentit; praeterea ad regionem ileo-caecalem sub manu premente persentitur strepitum peculiarem ad instar crepiti, qui probabilter a collectione materierum aeriformium, una cum semiliquidis in hac collectae regione; signum hoc, testa Chomelio, in alio morbo perrarum, perfrequens econtra in febre-thyphoidea. Diarrhoea non eosdem semper characteres, neque quoad numerum evacuationum, neque quoad qualitates materierum ipsarum, offert. Quoad numerum intra nyethemerum ab una usque ad quindecim aut viginta evacuationes perfici possunt. Quoad qualitatem nunc plane liquidae, nunc flavescentes, nigricantes, mucosae, foetentissimae semper evadunt. Urinae parva in quantitate coloris intensi, ingrati odoris = *Circulationis phoenomena* = Primis in diebus morbi in systemate circulatorio valida fit reactio cum verae phlogosis symptomatibus comitata, pulsus perfrequentes, duri sed magni; cutis rubra urensque. Phoenomenon aliud quod mi-

rabiliter, uti dicam, ad diagnosim complanandam inservit, sistit in epistaxi, quae generatim levis et guttatim e naribus fluit; inveniuntur tamen apud auctores nonnullos casus epistaxeos mortem aegrotibus minitantes.

Secunda Periodus = Ad finem primae vel generatim ineunte secunda periodo nonnunquam, periodo huc et illuc super abdomen atque pectus sparsim oritur exanthema omnino febri thyphoideae peculiaris, (eruptio thyphoidea nuncupata) quae constare videtur ex maculis rosei coloris a lineae dimidia parte ad duas latae, super cutim parum vel nullum extollentes, sub pressione evanescentes quae a duobus, tribus usque ad duodecim perdurant dies — Progrediente morbo, observatur et alia eruptio, quae constituta ex parvis vesiculis emisfericis, transparentibus, magnitudinis quadrantis lineae, quae obliquiter inspectae lucentes se praebent, ad perpendiculum disparent, et *sudamina* nuncupantur. Haec in collo, axillis, inguinis plerumque tenent locum, et facilius solo tactu deteguntur. — Hac in periodo proclivitas escarum genesi ad decubiti locum, et ubi vescicantia hyrudinesque admota fuere, non omittenda est.

Exulcerationes quoque linguae, palati, labiarum, gengivarum, conspiciuntur; dentes a tectorio nigrescente fuliginoso abtecti, quod si aufertur statim reproducitur. Contractilitas muscularis imbecillis facta, enuresis atque invaluntaria excrementorum depositio accedunt; quod statit phoenomenon maximo in gradu aminorum. Modificationes in functionibus cerebralibus quoque contingunt. Kephalalgia silet, sed aeger immobilis somnoculosus decumbit, aspere excusso et interrogatus indistincta profert verba. Aliquoties conditio habemus opposita, et tunc in delirio nunc placido nunc furioso aeger versatur. Fere ab omnibus auctoribus in hujusce morbi historia de phoenomena alio mentionem faciunt, sive de Cophosi, quae facilius cum stupore atassico confunditur et accurata ab ipso distinguenda — Pulsus parvi, debiles, tremuli, per frequentes, nam nonaginta usque ad centum et quadraginta ictus in uno horae momento, tanguntur. Cutis est sicca et caloris uti mordenti, qui molestiam affert manui explaranti. Diarrhoea vel est suppressa vel saltem moderata, metheorismus si non est adauctus, neque imminutus, et sic de aliis dicatur simptomatibus.

Tertia periodus = Prouti morbus in bo-

num vel malum flectit finem ita phoenomenae quae in ipso observantur, discrepant. Quando ad convalescentiam vergit (id quod non accidit si symptomata graviora fuere, nisi sub finem secundae vel ab initio tertiae periodis) signum boni ominis sistit in mutata physionomiae conditione; in ipsa quidquam jam hilaritatis residet; aeger rogatus expedite respondit, et de valetudine sua quamplurime studet. Si autem in statu fuit comatoso de hoc in tranquillo somno transit, a quo excitatus ad vitam uti novam revocatur. Contractilitas muscularis suscitatur, et aeger quamplurimos perficit motus antea poene abrogatos. Eodem tempore lingua et os umettantur, conspurgantur, atque respiratio facilius perficitur, metheorismus imminuitur; faeces minus faetent; urinae majori incopia et clariores fluunt. Cutis madida ex sudoribus beneficia. Crustae cancrenosae meliore sub adspectu sese offerunt, omne, uno verbo, convalescientiam enunciat. — Sed si morbus ad ultimum ruit exitium et omnia ingravescunt symptomata; physionomiae contracta, immobilis, hipocratica, et letali in cama a vita recedit. Aliquoties aeger in ardinario morbi decursu dum vitae periculum longe adhuc videtur ex improvviso a dolori-

bus dirissimis ac vomitu correptus obit, tum de peritonitis exitu ab intestinale perforatione tutum possumus proferre judicium; nec si auctoribus fidem habenda est, aeger qui jam convalescit tutus ab hoc exitu evadit.

LAESIONES ANATOMICAE.

Quoties individnum per febrem thyphoideam occumbit, autopsia peracta, inveniturne semper fistulae gastro-entericae pathologico in statu? Andral, Bovilland, Louis et alii historias individuorum ex affectione thyphoidea interemptorum in medium proferrunt, quin in tubo gastro-enterico aliquid morbosi invenirent. Chomel e contra, cadaverum lesionum divisione statuta in constantes vel faere constantes, et in non constantes ad primas referret illas primarum viarum. Quocumque modo tamen res se habeat, id certum, quod lesiones notantur, et postquam Anatomiae Pathologicae studium praestare caepit omnes auctores de ipsis pertractarunt. Ipsae in glandulis Peyeri ac Brunneri et Mesenterii sedem ponunt. Cadaveribus dissectis septima die (etenim antea hoc tempus nemini forsan occasio fuit dissecandi) glandulae Peyeri et Brunneri

tumidae, et mesentericae passeri ovum voluminis reperiuntur coloris rosei praeseferentes. Decima prima vel decima secunda die volumen glandularum crescit, et illae Peyeri et Brunneri rugosae fiunt, et adparent in postarum conicae fungositates cum apice exulcerato. Decima quarta vel decima quinta die crusta efformatur, quae decidit in subsequa die, adparetque membranae mucosae, quae interdum una cum peritonaali est destructa, unde intestinorum perforationes enascuntur. Tandem glandulae Peyeri et Brunneri ad pristinum redeunt statum cicatricem efformando, quem in posterum evanescit. Sed non omnes fallicoli qui Peyeri et Brunneri glandulas constituunt eodem sunt tempore affectae; primitus glandulae quae valvulae ileo-cecali propinquiores sunt afficiuntur, in postarum paullatim fiere progressivo modo illae quae sunt longinquae corripiuntur ita ut dum aliquae ad cicatrizationem vergant aliae adhuc in stadio suppurationis inveniuntur; et sic de glandulla Mesentericis dicatur

AETIOLOGIA.

Existunt ne causae ex quibus tota ratione febrem thyphoideam possumus repetere? Si hujusce morbi historias quamplurimas, uti illas ab Andral, Chomel, Louis, Rostan et ab aliis in lucem editas, perlegimus, exiguo tantum in numero circumstantias aliquas reperimus morbi evolutioni propitias, quae invasionem praecesserunt; sed causa vera constituens, illae cujus actio immediata morbum progignit, adhuc desideratur. Illae porro quae simpliciter favere videntur: aetas a decem et octo ad trigesimum vitae annum, aerumnae, labores per diu protractae, ubicationes insalubres, haemorrhagiae, et nimiae humorum nobilium jacturae, animi pathemata Auctores modo dicti et alii quamplurimi inter causas occasionales, de insueta in magna urbe habitatione, mentionem faciunt. — Nunc meum me crederem neglexisse munus, nisi aliquid adderem de contagione febris thyphoideae. Aliqui inter quos Bretonneau, La-Fleche, Gendron contagionem acriter defenderunt, et tunc evolutionis causa immediata ipsis pro auctoribus minime abscura evaderet. Sed a pluri-

mis hisce inficiatur argumentis: parentes, parabolani, amici apud febris thyphoideae aegrotantes operam continue navantes in occasionibus proximae contagionis versari, et tamen immuni evadere. In Nosocomiis alii aegri lectulum petunt eisdem obteguntur stragulis, qui lectus, qua stragulae prius laborantibus febre thypboidea inserviebant, quin in ipsis morbus manifestetur. — Observantur vere aliqui in Nosocomiis a febre thyphosa correpti, sed hoc nil aliud exprimit, quod etiam et istos in Nosocomio non immuni evadere ab illis causis quam illi, qui extra versantur. Chomel utriusque partis argumentis examinalis dum opinionem illorum qui secundam tenent sententiam damnat, affirmat contra quod si contagionem in hoc morbo adest hoc lavissimo in gradu existere.

DE NATURA MORBI.

Circa hujusce morbi naturam varias et poene infinitae prolatae fuerunt opiniones. Sed nimis arduum et forsan inpraesentiarum adhuc impossibile totam de ea reddere rationem.

Ergo et illae omnibus nota Broussais prae-

termissa opinione, qui in gastro-enterite locabat essentiam; et illae aliorum, qui ab initio in gastro-enterite ac postea sanguinis crasi vitiata omnia explicabantur symptomata; et illae a Bretonneau, Louis, Chomelo aliisque proferuntur qui in deturpata sanguinis qualitate, peculiari comitata intestinorum exanthema, autumabant; de natura potius intestinalium lesionem aliquid tantum dicam. Et in primis, hisce spectatis duae nobis offeruntur quaestiones: Si haec characterem phlogoseos vel non referant, et si haec phlogosis primaria vel secundaria evadat. — Si nobis, opportunitate concessa, pluribus vicibus tubum alimenterem individuorum in primo vel altero vel tertio in periodo febris thyphoideae interemptorum examinare, ex rubore et tumore in primo periodo, ab exitibus resolutionis, exulcerationis suppurationis et cancrenae in secundo et tertio quae certe invenimus, haec in dubbia phlogosis vestigia aperte fateri debemus. Et prima quaestio videtur soluta. — Si nos super fistulam alimentarem in observationes insistimus conspicimus, quod circum textus, qui lesionibus seatent, uti rubor, tumor etc. et alios invenimus qui normali sunt in statu, et phlogosis vel ejus exitus videntur occupare

non continuo modo aliquem intestini partem, sed huc et illuc sparsim se se offerens varialarum ad instar et scarlatinae aliorumque exanthematum. Nunc exanthemata qui sparsim super textus aliquos se se patefiunt, nunquam primarii, sed secundarii tantum sunt existimanda. Et hoc sub respectu quantum veritatis in *exanthemate intestinali*. Andral, quod ita febrem thyphoideam nuncupavit! . . . . .

DE THERAPIA.

Diversi in numero ac imo inter se discrepantes curationis modus oblati fuere. Non omnes, uti vidimus, eodem sub adspectu febrem Thyphoidem animadverterunt, proindeque ab hac opinionum varietate variasque therapiae species oriri necesse fuit. Veteres, qui attente phaenomena ac mutationes morbosas omnes observabant quae in decursu morborum contingebant, febrium gravium continuarum sanationem evacuationibus ab ipsis criticis noncupatae, adscribebant, quas avertere, ubi morbus regulariter incedebat, etiam atque etiam cavebant, sed si aliquid subortebatur quod motibus criticis moram poneret, hos arte gignebant. Auctores, qui iu

febre thyphoidea humores et praecipue sanguinem putrescere opinabant ad substantias sic dictas suts putridas, uti camphora, moscus, china etc. confugere. Et easdam quamquam scopo diverso adhibuere substantias qui (Brown et sectatores sui) morbus adinamiae, asthenias imputabant. — Rasori in curatione febris paticulosae Januae methodi Brownismi instituit ac etiam damnis perspectis, alius medendi modus in medium attulit, qui componebatur ex aliqua sanguinis depletione generali ab initio peracta una cum in posterum validis stibii praeparatorum dosibus, et contrastimulantem ipse vocavit. Broussais anatomiae pathologicae nisus, stimulantibus et tonicis proscriptis methodum stricte antiphlogisticam secutus fuit. Fuerunt et illi, qui credentes in febris thyphoideae sanguis acidum carbonicum amittere eum in circulo sanguifero traducere omnes vias periclitati sunt. Hamilton et medici Angli ad sidera tellunt purgantia.

Sed inter methodas omnes ille quae magis mihi arridet a Chomelio fuit proposita. Hic habito respectu formis febres thyphoideae diversis, diversos medendi modus suadet et methodus *rationalis* ab ipso nonenpatur. Si symptomata praevalent phlogoseos

tunc cura antiphlogistica, sed non tam valida pro facilitate, qua adynamia in scenam venit. Quando forma assumitur *biliosa* tunc medela facilis evadit, et potus refrigerantes subacidi, aliqui sales medii sunt adhibendi; at quum ab initio adsit status saburalis, emetica juvant. Substantiae leviter amaro-aromaticae, si forma est *mucosa* feliciter adhibebuntur. Quando porro symptomata ataxica adparent tunc cura, utpote haec a statu phlogistico vel adynamico originem ducat, variare solet, et antiflogistica in prima et tonica in secundo evadat casu. Si forma adynamica induit cura sit stricte tonica et china, moscus, camphora, vinum etc. seligenda erunt. Aliae quamplurimae opiniones, aliaeque methodi curationis quamplurimi, et omnes plus minusve miracula jactant. Sed morbi decursus irregularis, modificationes quae saepissime observantur, quin de ipsis medici tutam proferre possint rationem, ambiguitas summa in quam isti accurrunt quoad morbi terminationes, tot causae constituunt per quas febris thyphoideae therapia semper unus ex Medicinae practicae scopois erit.

FINIS

THESES DEFENDENDÆ.

1. Aeris insufflatio in asphicticis perutillima.

2. In haemathemesi remedia stimulantia nunquam adhibenda.

3. Perperam medici a coffoea arabica utpote medicamento abhorrent, quamvis in pluribus casibus efficacissimum pharmacum habetur.

4. Epistaxis in typho unum ex symptomatibus patognomonicis sistere.

5. Cotanna sanguinis certum suppeditat phlogoseos indicium.

6. Phosphas calcis in Rachitide valde laudandum.

7. Ad sensationes progignendas influxus ejusdem centri nervosi semper necessarius.

8. Iperemiae cadavericae non a sola lege gravitatis pendere.